

medium necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum, quae post Baptismum commissum.

85 Confirmatur: Nullum factum fuisse privilegium Ecclesiae per hoc sacramentum, sed potius arduum impossum onus, si non possemus iustificari, nisi per sacramentum poenitentiae, immo in lege Evangelica, arctior esset via salutis quam antea; quandoquidem absque susceptione sacramenti poenitentiae, vel voto ejus iustificari & salvari poterant homines ante Evangelium: At haec videntur absurda: Ergo, &c.

86 Ad objectionem respondeo, negando Majorem, non enim solum institutum est sacramentum poenitentiae in favorem fidelium, sed etiam & praecipue in favorem honoris divini, ut nimirum per illud condigna fiat injuria Deo per peccatum illata vindicta & reparatio.

87 Ad confirmationem, nego etiam Majorem: nam magnum privilegium est, posse cum sola attritione in hoc sacramentum iustificari; multoque facilius est habere attritionem, & cum ea consisti exterius, quam habere solum actum internum perfecte contritionis, sine qua circumcisus in lege veteri, lapsus in peccatum mortale, salvari non poterat.

88 Obijcies secundo, Remissio peccati post Baptismum commissi, potest obtineri sine sacramento poenitentiae in re vel in voto: Ergo illud non est necessarium necessitate medi, ad delenda peccata post Baptismum commissam. Consequentia patet, Antecedens probatur. Martyrium cum sola attritione remittit peccatum mortale, & iustificat ex opere operato non solum parvulos, sed etiam adultos, ut in Tractatu de Baptismo disp. 1. art. 7. ostensum est: Ergo remissio peccati post Baptismum commissi, potest obtineri sine sacramento poenitentiae, in re, vel in voto.

89 Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, concessi Antecedens, nego Consequentiam; nam in ipso martyrio continetur implicite votum sacramenti poenitentiae: Tum quia si per otium liceat Martyri, vel peccata subijcere clavibus Ecclesiae, vel saltem contritionis actum elicere, ad id tenetur: Tum etiam, quia si subito ad martyrium rapiatur, aut inter dormiendum occidatur, etiam in eo casu, ratione attritionis antea elicite, & voluntatis suscipiendi martyrium, censetur votum habere implicitum sacramenti poenitentiae, in attritione inclusum, licet non ita perfecte, sicut in contritione, quia attritio non est ita efficax.

90 Obijcies tertio: Non magis includitur in contritione votum implicitum sacramenti poenitentiae, quam sacramenti Eucharistiae, cum contritio non magis implicite includat propositum servandi unum ex divinis mandatis, quam alia: At licet votum Eucharistiae in contritione implicite includatur, Eucharistia in voto non dicitur necessaria necessitate medi ad obtinendam remissionem peccatorum quae post Baptismum commissum: Ergo nec sacramentum poenitentiae in voto, ad id debet dici necessarium, necessitate medi.

91 Respondeo negando Majorem, ex eo enim quod sacramentum poenitentiae & non Eucharistiae est institutum ad remittenda peccata baptizatorum, specialiter includitur votum implicitum sacramenti poenitentiae, non autem Eucharistiae, in contritione de peccatis post Baptismum commissis: sicut in contritione de peccatis ante Baptismum continetur specialis quodammodo votum Baptismi, ob eandem rationem.

## DISPUTATIO II.

De Poenitentia, ut Virtute.

Ad quest. 82. D. Thoma.

De virtute Poenitentiae differunt non solum Scholastici cum Magistro in 4. distinct. 14. & cum D. Thoma hic qu. 85. sed etiam plures ex SS. Patribus, inter quos praecipue sunt Tertullianus & Ambrosius, inter quos de ea scripserunt, Cyrilianus in sermone de lapsis, Chrysostomus duobus libris de compunctione cordis, & duodecim sermonibus de poenitentia, & apud Augustinum tom. 4. Auctor libri de vera & falsa poenitentia. Quae illi fustiori & elegantiori stylo de hac virtute scripserunt, breviter & compendiosius expendimus, ejusque naturam, causas, & effectus explicabimus.

Illius originem Deus ostendit, cum statim atque primi parentes peccarunt, eos de paradiso expulit. Ex quo primi Christiani didicerunt poenitentes ejicere ex Ecclesia. Unde Tertullianus in libro de poenitentia, subtiliter ait, Deum poenitentiam in seipso dedisse, quia antequam Deus diceret, poenitet me fecisse hominem, non erat auditum novum poenitentia.

Porro licet veteres Philosophi & Poetae poenitentiam ut est sacramentum non agnoverint, eam tamen quate-

nus est virtus, aut aliquid simile virtuti non ignorarunt. Pinxerunt enim Deum esse quamdam, quam vocarunt Nemesein & Adraliam, quae sumeret penas de malefactoribus: quam pinxerunt gubernaculum manu a tenente, altera frenum, ut ostenderent hanc virtutem gubernare veram vitam humanam, & injicere hominibus veluti frenum quoddam quo a peccando cohibeantur ac refruentur.

## ARTICULUS PRIMUS.

An Poenitentia sit virtus?

§. I.

Hæreticorum error refellitur.

Priusquam propositam difficultatem resolvamus, & poenitentiam veram esse virtutem demonstremus, refellendus est error hæreticorum hujus temporis, poenitentia nomine abutentium: cum enim omnia aspera iugant, & mollia quæque festentur, poenaliaque & satisfactiones pro peccatis commissis aventuræ, consequenter docent, poenitentiam, dolorem & detestationem peccatorum non importare, sed significare tantum propositum novæ vitæ inchoanda & simplicem respicientiam & vitæ novitatem, doloris de peccatis, & penæ omnis expertem. Ita Lutherus, Beza, Erasmus, & Laurentius Valla, qui vocem poenitentia, quæ in textu græco Biblicæ habetur, & significat poenitentiam, verunt respicientiam, quæ solum propositi vel mentis emendationem significat.

Sed peccant manifeste contra Scripturam, contra Sanctos Patres, & contra optimos quoque latinis Auctores. Nam in primis Scriptura longe aliam nobis poenitentiam describit, & commendat, quam mollem illam respicientiam Lutheranorum: Job ultimo: idcirco me reprehendo, & ago poenitentiam in favilla & cinere. Joela. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, &c. Matth. 11. Si in Tyro & Sydone facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in te, alim in cinere & cilicio poenitentiam egissent. Item Genes. 6. ubi Deo poenitentia tribuitur, non tribuitur sine dolore, quasi ab eo separari non possit, salva vocis proprietate: Poenituit enim quod hominem fecisset, & cæcis dolore cordis intrinsecus, &c.

Demum qui illos Sanctorum clamores consideraverit: Laboravi in genitum meo, lavabo per singulas noctes letum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Psalm. 6. Recordabor tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Isaia 38. & alios hujusmodi, facile intelliget, eos ex vehementi quodam antea vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione, mansisse.

Secundo SS. Patres, conformiter ad Scripturam, poenitentiam per dolorem, & alios actus illi dolori consentaneos explicant: Gregorius homil. 34. in Evangelia: Poenitentiam agere (inquit) est perpetrata mala plangere, & plangenda non perferre. Cyrilianus lib. de lapsis: Convertamur ad Dominum mente pura, & poenitentiam criminis vestri doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecamur. Illi se anima prosternant, illi maculosa satisfaciunt, illi spe omnis incumbant. Item & ostendit quod, jejunium, fletus, & planctus, sicut admonet ipse, placemus, &c. si quem de carnis sui mortalitatis exitu perdidisset, ingemiscere dolenter & fletus, facie in oculis vestis mutata, neglecto capillitio, vultu nubilato, ore dejecto, indicia morosis ostendens: Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter morosa supervenire hic tibi, & ipsa ambulans suum tuum portare cepisti, & non ariseris plangis? non iugiter ingemiscis? Non te vel pudere criminis, vel constanter lachrymationis abscondis? Augustinus serm. 3. in Natali Domini, post initium: Poenitentiam certam non facit, nisi dolor peccati, & amor Dei, quando sic poenitet, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente. Et in lib. quinquaginta homiliarum, homil. 50. Ascendat (inquit) homo adversum se tribunal mentis sue. Atque ita confitendo in corde suo, adit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnis flexus timor. Inde quidam sanguis animi confitenti per lacrymas profusur &c. Demum insita: Non enim sufficit moris in melius commutare, & a falsis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfacti Deo per poenitentiam dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus elemosinis. Quibus verbis poenitentiam non solum respicientiam, & vitæ novitatem, sed etiam odium, displicentiam, & dolorem de peccatis præteritis importare, aperitissime docet.

Tertio ipsimet Auctores ethnici, poenitentiam per dolorem & penam describunt: Cicero enim in 4. Tulliana, prope finem, de Alexandro loquens, qui cum interemisset Clytium familiarem suum, vix ejus manus abstinuit propter displicentiam & dolorem: Tanta vis fuit (inquit) poenitendi. Et Orat. pro Celio: id nunquam

iam acerbe fecerit, ut enim poenitent. Item Ovidius lib. 1. de Ponto Eleg. 6.

Poenitet, o si quid miseriorum credideris ulli:

Poenitet, & facta torquer ipse meo.

Cumque per exitum, magis est mihi culpa dolori:

Ergo pati poenam, quam meruisse minus.

Nec vero metantes (paravimus) sic propositi emendationem, vel mentis animadversionem dicit, ut non etiam detestationem ac dolorem vel penam & castigationem peccatorum includat: Basilus enim Orat. 3. de siccitate, poenitentiam Nivivitarum, quæ in cinere, sacco, & jejuniis fuit, ut dicitur Jonæ 4. paravimus appellat. Lactantius lib. 6. divinarum institutionum cap. 24. tametsi paravimus latine regit respicientiam, sic tamen dono sensu explicat: Respicientem quem errare piget, ac se ipsum castigat demeritis, confirmatque subinde ad rectius vivendum. Item apud Aufonium poenitentia in proprio Epigrammate sic loquitur:

Sum Dea quæ facti, non saltem exigo penam:

Id est eorum quæ perperam commissa vel omissa fuerunt.

Nempe ut poenitent, sic Magiana vocor.

Quarto Concilium Tridentinum sess. 15. cap. 4. prædixit hæreticorum errorem, his verbis prohibuit: Declarat Sancta Synodus contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam edium continere; juxta illud Ezech. 18. Projicite a vobis iniquitates vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cer novum.

Demum idem error hoc discursu confutari potest. Impossibile est accedere ad terminum ad quem, nisi recedendo a termino a quo; unde cum accessus ad novam vitam, & recessus a peccato, fieri debeat per actus voluntatis, & in actibus voluntatis fuga seu recessus, nihil sit aliud, quam odium & detestatio, impossibile erit ad novam vitam bonam accedere, nisi a vitio & peccato recedendo, per odium & detestationem illius: Poenitentia ergo non solum respicientiam & vitæ novitatem, sed etiam odium, displicentiam, & dolorem de peccatis præteritis importat.

§. II.

Quæstioni proposita respondetur, & poenitentiam veram esse virtutem, ostenditur.

Dico breviter, habitum poenitentia esse virtutem. Ita D. Thomas hic art. 1. & Theologi communiter.

Probatum primum ratione quam habet in argumento sed contra: Cum propterea Legislatoris sit facere homines virtuosos, ut docet Aristoteles 2. Ethic. præcepta legis non dantur nisi de actibus virtutum, quibus etiam felicitas promittitur præmium: Sed de actibus poenitentia extat præceptum divinum, eisque promissum est præmium, dicitur enim Matth. 4. Poenitentiam agite. Et Ezech. 18. Si impius egesserit poenitentiam vitæ vivet: Ergo poenitentia est virtus.

Probat secundum rationem quam insinuat in corpore ejusdem articuli. Virtus est habitus in materia difficili electivus secundum rectam rationem, inter duo extrema in mediocritate consistens: Sed habitus poenitentia est hujusmodi: Ergo est virtus. Major continet omnes conditiones necessarias ad rationem virtutis. Minor vero probatur discurrendo per singulas. Et in primis quod habitus poenitentia sit electivus secundum rectam rationem, patet, quia recta ratio dicitur dolendum esse de peccatis, ut sunt offensæ Dei. Quod autem veretur circa materiam difficilem, non minus evidens est, fugere enim & odisse ea quæ maxime delectant, & quæ carni & sanguini pergrata sunt, non parum difficultatis habet. Denique quod in mediocritate consistat, facile potest suaderi: Sicut enim contingit quod aliqui homines de peccatis commissis, plus nimio delectentur, juxta illud Prov. 2. Latentur cum male fecerit, & exultant in rebus pessimis; ita & quod alii immoderate & usque ad desperationem de illis doleant & tristentur; sicut Cain & Judas, quorum alter in desperationem lapsus dixit, Major est iniquitas mea, quam ne veniam merear: alter vero poenitentia ductus, laqueo se suspendit: habitus autem poenitentia, medium tenet inter ista extrema. Hanc rationem insinuat Catechismus Concilii Tridentini de Sacramento poenitent. n. 9. ubi hæc habet: Interdum enim evenit ut ex admixta selectiorum minorum quam par est dolorem homines capiant, quin etiam ut a Salomone scriptum est, nonnulli sunt qui cum malefecerint, latantur; rursus vero alii ita se morari & agitati dedunt, ut de salute profusè desperent: qualis Cain videri potest, qui ait: Major est iniquitas mea quam ne veniam merear. Et qualis certe Judas fuit, qui poenitentia ductus suspendio vitam, & animam amisit. Ut igitur modum in dolore tenere possimus, poenitentia virtute adjuvamus.

Confirmatur ex alia definitione virtutis, quam tradidit Aristoteles 2. Ethic. c. 5. his verbis: Virtus est habitus, qui Theod. Comest. Tom. V.

bonum facit habentem, & opus ejus reddit bonum. Poenitentia enim bonum facit habentem, immo sepe illam meliorem & sanctiorem reddit, quam esset ante lapsum, juxta illud Apostoli ad Roman. 5. Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Unde Gregorius lib. 11. Moral. cap. 19. vel alias 26. ut in editione Parisiensi 1619. Dicitur quisque ex eo quod mala se egisse intelligit, ad discretionem regulam reducit, & inde alius ad justitiam proficit, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Et paulo post: Nonnumquam culpa, occasio virtutis fit. Et alibi: Fit plerumque gratior Deo, amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpens innocentia. Item Ambrosius in serm. Cathedræ S. Petri: Fidelior (inquit) profectus factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deservit, atque ideo majorem gratiam reperit, quam amisit. Habitus quoque poenitentia opus suum reddit bonum, utpote Deo acceptum, & vitæ æternæ meritum & innumeras poenitentia affert utilitates & fructus spirituales, quos eleganter expendit Chrysost. serm. de poenitentia, his verbis: O poenitentia, quæ peccata Deo miserante remittis, & Paradisum referas, contritionem sanas, omnem tristitiam exhiberas, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiorum refundas. Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu custodis, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. Per te, o poenitentia, David afflicti, vel contritus, factus est sanctus. Per te filius prodigus paternum amplexum meruit. Per te Petrus postquam ter Dominum negavit, indulgentiam recepit. Per te o poenitentia, latronem subito Christum ad regnum æternum rapuit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo: Virtus est propter se expetenda: At qui poenitentia non expetitur propter se, sed propter malum culpæ quod tollit: Ergo non est virtus.

Confirmatur. Virtus non consistit in fuga mali, sed in prosecutione boni: At poenitentia consistit in fuga mali: Ergo non est virtus.

Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando 11. Minorem, poenitentia enim expetitur propter se, id est propter suam finem propriam, & non propter aliquem alium a suo proprio sine distinctione finis autem proprius poenitentia est dolere malum culpæ, & Deo offerri satisficere. Unde ad confirmationem, nego etiam Minorem: licet enim poenitentia includat fugam mali, in ea tamen sola non consistit, sed in eo quod per eam satisfaciatur Deo offenso, quod est boni maximi profectione.

Obijcies secundo: Virtus habet per se delectationem: Sed poenitentia non habet delectationem, sed potius excitat dolorem & tristitiam: Ergo non est virtus.

Respondeo virtutem non habere semper delectationem de suo objecto, sed solum de suo actu: quamvis autem poenitentia delectat de peccato, quod est suum objectum, delectatur tamen de suo actu, quia gaudet se dolere. Solutio est D. Thomæ quest. usque de spe art. 1. ad 14. ubi sic ait: Duplex est delectatio, una quidem de objecto, alia vero de ipso actu: prima autem delectatio non est propria virtutis, quia est aliqua virtus ad quam pertinet dolere de suo objecto, scilicet poenitentia; sed secunda delectatio quæ est de actu, & propria virtutis, quia unicuique habenti virtutem, est delectabilis operatio quæ est secundum proprium habitum, unde etiam poenitens de dolore gaudet. Hinc apud Job cap. ultimo, ubi vulgata habet, Ago poenitentiam in favilla & cinere, in textu originali legitur, Ago solatium in favilla & cinere.

Addo, delectationem essentiali virtutis, consistere in promptitudine quadam & affectu, quo voluntas elicit alacriter actum virtutis; & hæc reperitur in poenitentia, nec est tristitia quam includit illa virtus, opponitur, quia opponitur tantum renouari & repugnantiæ voluntatis, quæ refugit elicere talem actum virtutis.

Obijcies tertio: Cum virtus sit essentialiter dispositio perfecti ad optimum actum, non potest dari propter foles actus imperfectos, quales sunt conditionati de objecto impossibiles: Sed affectus detestationis quo poenitentia circa peccatum præteritum versatur, non est absolutus, sed tantum conditionatus: quia nimirum poenitens vult se non commisisse peccatum, si hoc esset possibile: Ergo poenitentia non est virtus.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: nam affectus ille detestationis quo poenitentia circa peccatum præteritum versatur, ex parte subiecti est absolutus, quia de præstati actus voluntatem: ex parte vero objecti est mixtus ex conditionato & absoluto, quatenus enim est circa id quod præterit de peccato, est conditionatus, & congruenter explicari debet per hujusmodi verbum de futuro imperfecto, vellem non commisisse peccatum, si possibile foret: quatenus vero respicit effectum relictum ex peccato



peccato praefero, scilicet offensam Dei habitualiter permanentem, & eorum poena, est absolutus & efficax, cum efficaciter retrahat & removeat talem effectum, & ratione hujus secundi respectus potest explicari per verbum de presenti hoc modo: *Doleo me peccasse, vel Displacet mihi peccatum.*

15 Obijcies quarto, Verecundia non est virtus: Ergo nec penitentia. Antecedens expresse docetur a D. Thoma 2. 2. quae 144. art. 1. Consequentia vero probatur: Ideo enim verecundia non est virtus, quia est de turpi facto: At qui etiam penitentia est de turpi facto, scilicet peccato: Ergo si verecundia non sit virtus, penitentia quoque virtus non erit.

16 Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam, & ad illius probationem dico quod licet penitentia sit de turpi facto, sicut & verecundia, diversimodum tamen, nam ait D. Thomas hic art. 1. ad 2. *Verecundia respicit turpe factum, ut praesens, pro quo timor confusio; penitentia vero, ut praeteritum: hoc est, penitentia non patitur secum affectum peccati, immo odio habet illud ac deestruit: verecundia autem potest compati cum affectu peccati, est enim timor vituperii seu opprobrii quod imminet vel nascitur, si turpe factum committitur: ut docet idem S. Doctor 2. 2. qu. 144. art. 1. qui timor non tollit affectum peccandi, sed tantum vel externam ejus executionem impedit, vel saltem publicam, licet non occultam: & per accidens est illi, quod peccatum destruat, dum ponitur, per se vero penitentia.*

## ARTICULUS II.

*An penitentia sit virtus aliqua specialis, & quodnam sit ejus obiectum materiale & formale?*

17 Aristodorenensis, Major, & quidam alii antiqui Theologi existimant quod penitentia non sit virtus specialis ab aliis distincta, sed quaedam conditio generalis aut praedicatum transcendens omnes virtutes, ad eummodum quo injustitia sive iniquitas dicitur conditio generalis omnium peccatorum, & iustitia generaliter dicta, conditio & praedicatum omnium virtutum, juxta illud Matth. 3. *Sic debet nos implere omnem iustitiam, id est omnem virtutem.* Alenſis vero facit quidem penitentiam esse virtutem specialem simpliciter, sed addit esse generalem quodammodo: specialem, quoad actum poenitentis ipsius poenitentis in compensationem delicti: generalem vero, in ordine ad actum odii, sive detestationis peccatorum omnium. Cum enim ad actum odii omnium peccatorum concurrant aliae omnes virtutes, saltem imperando illud: ex amore enim obiecti alicujus virtutis, oritur odium obiecti ipsi contrarii, quod est peccatum; penitentia consequenter potest dici virtus generalis, non quidem per modum conditionis quae per omnes virtutes divagatur, ut Aristodorenensis, & Major existimant, sed per concomitantiam & aggregationem omnium virtutum.

## §. I.

*Vera & communis sententia duplici conclusione statuitur.*

Dico primo, penitentia est virtus specialis, non autem conditio generalis omnium virtutum. Ita D. Thomas hic art. 2. & alii Theologi communiter.

18 Probat per modum praedicati transcendens obiecta aliarum, sed speciale, non est generalis per modum praedicati transcendens omnes virtutes, sed specialis: Atqui obiectum virtutis penitentiae, non est commune per modum praedicati transcendens obiecta omnium aliarum virtutum, sed speciale: Ergo penitentia non est conditio generalis omnium virtutum, sed aliqua virtus specialis. Major constat, Minor vero probatur: Obiectum virtutis penitentiae est offensam Dei, ut expiabilis per satisfactionem, quae non fit ad aequalitatem perfectam: Sed haec ratio non transcendit obiecta aliarum omnium virtutum, ut constat: Ergo obiectum virtutis penitentiae non est commune per modum praedicati transcendens obiecta omnium aliarum virtutum.

19 Probat per modum rationis D. Thoma loco citato, ubi sic differtur: *Species habituum distinguuntur secundum species actuum, & ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis: manifestum est autem quod in penitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis scilicet operari ad destructionem peccati praeteriti, in quantum est Dei offensam, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis: unde necesse est ponere quod penitentia est specialis virtus.*

20 Probat per modum rationis, Virtus in cuius obiecto est difficultas quae non reperitur in obiectis aliarum virtutum, non est generalis per modum praedicati transcendens alias virtutes, sed specialis: ubi enim est specialis difficultas, ibi constat debet specialis virtus: At in offensam Dei, ut expiabilis per satisfactionem, quae est obiectum penitentiae, non est in obiectis aliarum virtutum, in eo sita, quod is qui peccat voluptatem jam expertus est, pro illo satisfacere & poenam sustinere velit: Ergo penitentia non est virtus generalis per modum praedicati transcendens alias virtutes, sed specialis.

Dico secundo, Virtus penitentiae non est generalis, ut aggregatione multarum virtutum. Probat per modum praedicati transcendens obiecta aliarum omnium virtutum, quia detestatur mala illis omnibus contraria, detestando omnino peccatum: Sed haec ratio nulla est: Ergo &c. Minor probatur: Licet penitentia detestetur omnia &c. Minus peccata, non tamen ea detestatur ut contraria aliis virtutibus (ad id enim praestandum sufficienti aliae omnes virtutes, quandoquidem quilibet ex amore boni proprii, habet per seipsam detestari malum sibi oppositum) sed ut expianda per satisfactionem, cum obiectum penitentiae, ut infra dicemus, sit peccatum, quatenus est offensam Dei expiabilis per poenam voluntarie assumptam: Ergo &c.

Probat per modum praedicati transcendens obiecta aliarum omnium virtutum, non potest penitentia non datur virtus aliqua specialis: Ergo neque ad declinandum ab omni malo, quod intenditur a penitentia, virtus specialis poni debet.

21 Respondeo quod licet ad declinandum a malo ut sic, non requiratur virtus specialis, tamen ad declinandum a malo, quatenus est offensam Dei, & destruidum est per satisfactionem, necessaria est virtus specialis. Obijcies quinto contra secundam conclusionem: Illa virtus est generalis per concomitantiam, ad cuius actum concurrunt ceterae omnes virtutes, ipsum imperando: Sed ad actum virtutis penitentiae, quia est detestatio omnis peccati, concurrunt omnes aliae virtutes, ipsam imperando: ex eo enim quod temperantia, fortitudo, iustitia, &c. ament sua obiecta, imperant penitentia, ut detestentur peccata ipsis adversa: Ergo penitentia est virtus generalis, per concomitantiam sive per aggregationem aliarum virtutum.

## §. II.

*Solvuntur obijctiones.*

Obijcies primo contra primam conclusionem: Illa virtus non est specialis, sed generalis quae se extendit ad obiecta omnium aliarum virtutum: Sed penitentia ad obiecta omnium aliarum virtutum se extendit: Ergo non est virtus specialis, sed generalis. Major videtur manifeste, Minor vero se ostendit. Penitentia respicit omne peccatum, operando ad illius destructionem: Sed peccatum in tota sua latitudine amplectitur materias omnium virtutum, ad omnes enim pertinet odisse peccatum unicuique oppositum & displicere de illo: v. g. ad temperantiam spectat per se primo prosequi bonum temperantiae & secundario fugere & odio prosequi peccatum intemperantiae: Ergo penitentia ad obiecta omnium aliarum virtutum se extendit.

Respondeo distinguendo Majorem: Illa virtus non est specialis, sed generalis, quae se extendit ad obiectum omnium aliarum virtutum, sub motivo quo ab eis respicitur, concedo Majorem. Sub motivo quo a nulla alia virtutibus respicitur, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Penitentia se extendit ad obiectum omnium aliarum virtutum, sub motivo quo ab eis respicitur, nego. Sub motivo quo a nulla aliarum respicitur, scilicet sub ratione offensae Dei, ut expiabilis per satisfactionem, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Non enim est contra rationem specialis habitus, quod veretur circa obiecta plurium aliarum virtutum, dammodo illa respiciat sub aliqua ratione sibi propria: ut patet in Metaphysica, quae omnia obiecta aliarum scientiarum respicit sub ratione entis.

Obijcies secundo: virtus specialis non potest opponi omni vitio aut peccato: quia sicut habet determinatum bonum a quo specificatur, ita & determinatum malum cui opponitur: At penitentia omnibus omnino vitiis & peccatis contrariatur, nullum enim ex eis est, cum quo sit compatibilis: Ergo non est virtus specialis.

Respondeo primo, negando Minorem universaliter sumptam: caritas enim est virtus specialis, & tamen contrariatur cuilibet peccato mortali.

Respon-

26 Respondeo secundo, non posse virtutem specialem opponi vitio, sub motivo speciali, sub quo unum vitium distinguitur ab alio, & singula opponantur diversis virtutibus: possunt tamen opponi sub motivo universalis, in quo omnia conveniunt sub una ratione contra aliquam honestatem obiectivam. Et hoc modo opponitur penitentia omni vitio & peccato, quatenus omnia vicia & peccata conveniunt sub ratione laesionis juris divini, ut constat ex infra dicendis.

27 Obijcies tertio: Cum omnis virtus contrarietur vitio & peccato sibi opposito, unumquodque autem per suum contrarium destruitur, ad declinandum peccata, non est necessaria aliqua virtus, quae sit habitus distinctus ab aliis: Sed penitentia ordinatur ad declinandum peccata commissa: Ergo illa non est habitus aliquis specialis distinctus ab aliis virtutibus.

28 Respondeo, quod licet omnis virtus contrarietur peccato sibi opposito, considerato secundum rationem sub qua specialiter ei opponitur, v. g. fides destruit peccatum infidelitatis, ut infidelitatis est; non tamen contrariatur peccato, considerato secundum rationem sub qua non habet oppositionem specialem cum ea, nempe sub ratione offensae Dei: unde ad hanc contrarietatem vincendam & ad destruidum peccatum, quatenus est offensam Dei, & satisfaciendum Deo pro tali offensam, datur locus virtuti specialis, quae dicitur penitentia.

29 Obijcies quarto: Ad appetendum bonum in communi non datur virtus aliqua specialis: Ergo neque ad declinandum ab omni malo, quod intenditur a penitentia, virtus specialis poni debet.

30 Respondeo quod licet ad declinandum a malo ut sic, non requiratur virtus specialis, tamen ad declinandum a malo, quatenus est offensam Dei, & destruidum est per satisfactionem, necessaria est virtus specialis.

31 Obijcies quinto contra secundam conclusionem: Illa virtus est generalis per concomitantiam, ad cuius actum concurrunt ceterae omnes virtutes, ipsum imperando: Sed ad actum virtutis penitentiae, quia est detestatio omnis peccati, concurrunt omnes aliae virtutes, ipsam imperando: ex eo enim quod temperantia, fortitudo, iustitia, &c. ament sua obiecta, imperant penitentia, ut detestentur peccata ipsis adversa: Ergo penitentia est virtus generalis, per concomitantiam sive per aggregationem aliarum virtutum.

32 Respondeo, data Majori negando Minorem: licet enim aliae virtutes concurrant ad odium peccati, secundum quod opponitur bono proprio cuiusque virtutis, quia ejusdem virtutis est immediate prosequi bonum, & odio habere malum sibi adversum, odium tamen peccati considerati, ut est offensam Dei, debilis per satisfactionem, sub qua ratione est a penitentia, nec elicitur, nec imperative procedit ab aliis virtutibus, sed oritur solum a penitentia: quia sub hac ratione non cadit sub obiecto aliarum virtutum, sed solum spectat ad obiectum penitentiae.

## §. III.

*Alia difficultas resolvitur, & quodnam sit obiectum materiale & formale virtutis penitentiae, breviter explicatur.*

33 Dico tertio, obiectum materiale virtutis penitentiae esse peccatum, quatenus est offensam Dei expiabilis per satisfactionem.

Patet haec conclusio, virtus enim penitentiae versatur circa peccata, non sub particulari aliqua ratione, quandoquidem versatur circa omnia: nec prout opponuntur bono divino, sic enim respiciuntur a caritate, ut dicemus articulo sequenti: Ergo solum ut sunt offensae & iniuriae Dei, expiabilis per satisfactionem; proprium enim ejus motivum est dolere de peccato ex intentione destruidi & removendi illud, ut est iniuria Dei, quod fit per satisfactionem. Ex quo

34 Inferes primo, peccatum dumtaxat praeteritum esse obiectum, ut sic dicam, primarium virtutis penitentiae, quia offensam ut expiabilis, consideratur ut praeterita: neque enim est expiabilis, nisi postquam commissa est; secundario tamen & minus principaliter penitentia fertur circa peccata futura, quia proponit nulla in posterum committere.

35 Inferes secundo, peccata aliena non pertinere ad obiectum materiale penitentiae, quia penitentia non respicit peccatum, nisi ut expiabile, seu, quod idem proferat, ut per satisfactionem compensandum. Sed parus homo non potest satisfacere pro culpa aliena, esto possit satisfacere pro poena temporali: cuius differentia ratio est, quia satisfactio pro poena temporali, fit veluti per extorperandum solutionem debiti, quam potest unus prestare pro alio; at vero satisfactio pro culpa fit per internam offensam erga offensum subjectionem, quam non potest unus pro alio facere: Ergo &c.

36 Inferes tertio, quod licet culpa mortalis, cum habeat

proprie rationem offensae, sit veluti principale obiectum penitentiae, tamen peccatum veniale, cum participet imperfecte rationem culpe & offensae, erit etiam obiectum saltem secundarium & minus principale illius. Idem cum proportionem dicendum est de peccato exteriori, quod non adit malum supra interius. Peccatum vero originale, nullo modo pertinet ad obiectum penitentiae, quia tale peccatum est malum naturae, & non personae; unde non potest privati alicujus hominis satisfactione expiari.

Inferes quarto, non solum malum culpe, sed etiam malum poenae, pertinere ad obiectum materiale penitentiae, quia per poenam voluntarie assumptam peccator satisficit Deo, & compensat quantum est de se jus divinum laesum.

Dico quarto, obiectum formale penitentiae esse jus divinum laesum per offensam, ut reparabile per satisfactionem & compensationem quandam.

Patet etiam haec conclusio, cum quia per tale obiectum distinguitur penitentia ab aliis virtutibus, tum etiam quia attingit peccatum sub illa ratione, est aliquis actus laudabilis maximam habens difficultatem: Ergo debet pertinere ad aliquam virtutem: Sed non potest pertinere ad aliam, quam ad penitentiam, ut constat ex dicendis articulo sequenti: Ergo obiectum formale penitentiae est jus divinum laesum per peccatum ut reparabile per satisfactionem.

## ARTICULUS III.

*An penitentia sit virtus a ceteris distincta, vel ad aliquam ex illis reducatur?*

1. Ict Theologi communiter doceant, penitentiam esse virtutem aliquam specialem, aliqui tamen non distinguunt illam a reliquis virtutibus, sed reducunt ad aliquam ex his quae erga Deum versantur, vel ex illis quae ad iustitiam pertinent. Unde cum dicant penitentiam esse virtutem specialem, non solum ly *specialem*, prout distinguitur contra omnem aliam virtutem particularem, sed prout distinguitur contra aggregationem multarum virtutum. Aliqui ergo quos relict Alenſis 4. part. quae 54. membro 1. art. 2. existimant penitentiam reduci ad caritatem, quatenus ex amore Dei detestatur peccatum; eundem enim virtutis est diligere obiectum, & detestari oppositum. Alii cum Cajetano aliterant eam pertinere ad virtutem religionis, quatenus honorem Deo debitum, per peccatum sublatum, restituit. Alii vero docent quod penitentia est eadem virtus ac iustitia, vel commutativa, ut Durandus & Marfilus; vel vindictiva ut Scotus; vel distributiva, ut Gabriel.

## §. I.

*Rejicitur prima sententia.*

Dico primo, penitentiam esse virtutem distinctam a caritate.

Probat ratione fundamentali: Virtutes quae habent distincta obiecta formalia, distinguuntur inter se: Sed caritas & penitentia respiciunt distincta obiecta formalia: Ergo inter se distinguuntur. Minor probatur: Obiectum formale penitentiae est jus divinum laesum, ut reparabile per satisfactionem, ut articulo praecedenti ostensum est: obiectum vero formale caritatis est bonum divinum, seu Deus ipse ut in se est, unde caritas est virtus Theologica, non vero penitentia: Ergo habent diversa obiecta formalia.

Confirmatur: Respicere jus divinum competit solum virtuti iustitiae, cum jus sit proprium ejus obiectum: Sed caritas est virtus distincta a iustitia: Ergo jus divinum non respicit.

Probat secundo conclusio, destruendo praecipuum fundamentum adversae sententiae. Licet caritas opponatur peccato, illudque destruere conetur, sicut penitentia; diversimodum tamen illud respiciunt, & in ejus destructionem tendunt: Ergo inter se distinguuntur. Consequentia patet, Antecedens probatur, advertendo peccatum dupliciter posse considerari, nimirum prout est malum oppositum bono hominis, quem privat rectitudine rationis, gratia, caritate, & aliis virtutibus ac donis supernaturalibus, ipsiusque Dei fruitione; & prout est malum quodammodo oppositum Deo, idque dupliciter. Primo, ut contrarium bono divino, quia cum per peccatum mortale, de quo praecipue loquimur, homo constituit suum ultimum finem in creatura, ut in Tractatu de peccatis disputat. 9. art. 2. ostendimus, fit inde ut quolibet peccatum mortale quodammodo sit contra bonum divinum, quod solus est verus ultimus finis, & vera beatitudo hominis, quae ratione omnia peccatum contrariatur caritati, cuius proprium munus est inclinare voluntatem in Deum, tamquam in summum bonum & ultimum finem. Secundo, potest considerari peccatum, ut opponitur divino juri



juri & dominio proprietatis quod habet Deus in homines, eorum actiones, & sub hac ratione qua est offensa & injuria, respicitur a virtute poenitentiae, quae per satisfactionem, talem injuriam reparare conatur. Licet ergo caritas & poenitentia adveniantur peccato, illudque destruere intendunt, diversimode tamen; nam caritas illud respicit ut contrarium bono divino; poenitentia vero, ut juri divino oppositum.

42 Obijciat: Virtus poenitentiae non distinguitur a caritate, ut actus proprius poenitentiae, qui est contritio, eliciatur a caritate: Atque contritio a caritate elicitur: Ergo virtus poenitentiae non distinguitur a caritate. Major patet, Minor probatur primo: Dolor de peccatis propter Deum summe dilectum, est actus contritionis: Sed talis dolor elicitur a caritate, cum ejusdem virtutis sit gaudere de bonis amici, & de malis ejus dolere & tristiari: Ergo contritio a caritate elicitur. Secundo, probatur eadem Minor, Actus contritionis dicitur ille per quem delectur peccatum: Sed postea quod quis diligit Deum super omnia, impossibile est quod remaneat peccatum: Ergo &c.

43 Respondeo concessa Majori, negando Minorem, & ad primam illius probationem dico, quod quamvis dolere de peccato per simplicem displicentiam peccati, pertineat ad caritatem; dolere tamen de illo cum intentione illud destruendi, & satisfaciendi Deo offenso, non pertinet ad caritatem, sed ad aliam virtutem. Solutio est D. Thomae hic art. 2. ad 1. ubi sic ait: *Si in actu poenitentiae consideretur sola displicentia peccati praeteriti, hoc immediate ad caritatem pertinet, sicut & gaudere de bonis praeteritis: sed intentio operandi ad delectationem peccati praeteriti, requirit specialem virtutem sub caritate.*

44 Instabis: Habitus qui intendit aliquid bonum, consequenter etiam operatur ad destructionem mali oppositi: Sed caritas intendit Deum ut summum bonum, cui peccatum opponitur: Ergo dolere de peccato, etiam cum intentione illud destruendi, pertinet ad caritatem.

45 Respondeo distinguendo Majorem: Operatur ad destructionem mali oppositi, sub illa ratione sub qua opponitur bono a tali habitu intento, concedo; Sub alia, nego. Unde fatetur caritatem dolere de peccato cum intentione illud destruendi sub ea ratione, sub qua opponitur bono divino, quod respicitur a caritate: dolere autem de peccato cum intentione illud destruendi, sub ratione offensa, & quatenus opponitur juri divino, non est caritatis, sed poenitentiae; ut in secunda probatione conclusionis declaravimus.

Ad secundam vero probationem Minoris principalis dico, quod licet prorsus in actu dilectionis Dei, eo ipso non habeat amplius peccatum, ideo tamen res ita se habet, aut quia simul elicitur mediante habitu poenitentiae actum contritionis, distinctum ab actu caritatis, si tunc inest obligatio ad eum, & peccatum memorie occurrat; aut quia licet nullus alius actus praeter dilectionem habeatur; eo quod nimirum vel nullus peccati recorderetur, vel si recorderetur, tempus tamen adimplendi preceptum de conditione formalis adhuc non urgeat: nihilominus dilectio perfecta quae tunc habetur, includit saltem implicite votum eliciendi actum contritionis formalis, quando postea recordabitur alicujus peccati, & tempus de eo dolendi instabit.

## §. III.

sententia Cajetani refellitur.

Dico secundo, poenitentiam esse virtutem distinctam a religione.

Probatur primo ex D. Thoma in 4. dist. 14. q. 2. art. 1. quaestione 5. ubi sic ait: *Aliquis efficitur Deo debitor, per hoc quod ab eo aliquid recipit, & hac ratione Deo reddit debitum honorem latriae seu religio. Alio modo ex hoc quod contra Deum peccavit; & sic reddit Deo debitum poenitentia. Quibus verbis manifeste distinguitur religioem & ejus debitum, a poenitentia & illius debito. Et dist. 15. quaest. 4. art. 7. quaestione 1. ad 2. dicit non esse inconveniens actus unius virtutis imperari ab alia, sicut actus latriae seu religionis imperari a poenitentia.*

46 Probatur secundo ratione: Virtus cujus actus supponit necessariam offensam, distinguitur ab ea cujus actus non supponit, necessario saltem, offensam: Atque poenitentia est virtus cujus actus necessario supponit offensam, ut constat, non vero religio; potest enim & debet ejus actus exerceri etiam ab innocente: Ergo poenitentia a religione distinguitur.

47 Probatur tertio: Tunc una virtus realiter distinguitur ab alia, quando in actu illius est major difficultas, quam in actu alterius: Sed in actu poenitentiae major est difficultas, quam in actu religionis: Ergo poenitentia a religione distinguitur. Major patet, virtus enim major requiritur ad vincendam difficultatem, quam in actu ejus reperitur, Minor vero sic ostenditur. Proprius actus re-

ligionis est exhibere debitum cultum Deo, proprius autem actus poenitentiae est operari ad destructionem offensae contra Deum commissae, puniendo illam in seipso: Sed major est difficultas in hoc secundo actu, quam in primo, quia cum homo maxime diligit propriam excellentiam, cum magna difficultate confiderat suos defectus, & illos puniendos per satisfactionem, cum tamen valde suave sit exhibere Deo reverentiam, ad ejus excellentiam significandam: Ergo major reperitur difficultas in actu poenitentiae, quam in actu religionis.

Demum suaderi potest conclusio ratione fundamentali. Illae virtutes distinguntur realiter, quae respiciunt diversa obiecta formalia: Sed poenitentia & religio diversa obiecta formalia respiciunt: Ergo distinguntur realiter. Major patet, Minor probatur. Obiectum formale religionis est specialis illa honestas, quae reperitur in eo quod supremum Dei excellentie redditur honor & cultus illi conveniens, ut in Tractatu de quatuor virtutibus Cardinalibus disput. 3. artic. 1. declaravimus: obiectum vero formale poenitentiae est ius divinum lesum per offensam, & reparabile per satisfactionem, ut constat ex dictis articulo precedenti: Sed hac realiter inter se differunt: Ergo poenitentia & religio diversa obiecta formalia respiciunt.

Dices cum Cajetano, obiectum formale poenitentiae non esse ius divinum lesum per offensam, sed ius divinum tota sua latitudine, quod etiam respicitur a religione, ad quam subinde pertinet reparare ius divinum lesum, & satisficere pro peccato per contritionem.

Sed contra obiectum formale alicujus virtutis, nequit latius patere quam obiectum materiale, alias reperitur obiectum formale sine materiali; quod implicat: Ad si ius divinum in tota sua latitudine esset obiectum formale poenitentiae, latius pateret quam obiectum materiale: Ergo &c. Major constat, Minor probatur. Obiectum materiale poenitentiae (ut articulo precedenti ostendimus) sunt peccata, ut offensa Dei, reparabiles per satisfactionem: Sed ius divinum in tota sua latitudine latius patet quam peccata &c. nam etiam reperitur in cultu debito Deo tamquam supremo domino & benefactori nostro: Ergo si ius divinum in tota sua latitudine esset obiectum formale poenitentiae, latius pateret quam obiectum materiale illius.

## §. III.

Solvuntur objectiones.

Obijciat primo: In humanis eadem virtus iustitiae commutativa quae respicit ius proximi in voluntariis commutationibus, puta emptione & venditione, respicit etiam ius lesum per offensam, satisfaciendo injuriam alteri illatam. Item eadem virtus pietatis nedum satisficit Patri pro beneficiis acceptis, sed etiam pro injuriis in ipsam commissis: Ergo similiter eadem virtus religionis potest pro beneficiis acceptis, Deo cultum debitum exhibere, & pro injuriis illatis ei satisficere.

Respondeo, dato Antecedente, quod negato Soto & Valentia (existimant enim etiam inter homines requiri specialem virtutem ad satisfaciendum pro injuriis illatis, diversam ab ea qua in voluntariis commutationibus satisfaciunt pro rebus acceptis, vel qua restitunt ablata, & debita reddunt) negando Consequentiam & paritatem. Ratio vero disparitatis, quantum ad primam est, quia hominis ad hominem potest esse perfecta aequalitas, sub qua tamquam sub eadem ratione formali indivisibili, potest eadem virtus respicere & rem debitam ut restituentiam, & injuriam illatam ut compensandam. At vero Deo nequit homo reddere aequale, five pro beneficiis acceptis, five pro injuriis illatis; atque adeo non potest unica virtus illa respicere per rationem perfectam aequalitatis nec etiam sub ratione inequalitatis, quia inequalitas, cum multis modis contingat, per excessum scilicet & per defectum, non est una ratio omnino indivisibilis, quae possit unam specificare virtutem; unde aliunde petenda est ejus specificatio, ita ut diversae inequalitates, juxta diversas earum causas, distinguantur. Unde inequalitates proveniunt ex beneficiis acceptis, specificabit unam virtutem, & inequalitas ex injuriis illatis aliam.

Quantum vero ad secundum duplex assignari potest ratio differentiae. Prima est, quia virtus reddens cultum patri, & compensans injurias ipsi illatas, respicit semper ius & debitum, scilicet ius paternum, in quo diversa illae rationes adunatae, possunt unam specificare virtutem. Virtus autem reddens cultum debitum Deo pro beneficiis, & virtus satisfaciens pro injuriis, respiciunt diversum debitum; nam prior respicit ius dominii, posterior vero ius proprietatis: ex eo enim quod Deus est primum omnium principium, habet ius dominii in omnes creaturas, & earum actiones; ex eo vero quod est ultimus finis creaturae rationalis, habet ius ut ad ipsam tamquam ultimum finem creatura ordinem omnes suas actiones, quod

## De Poenitentia, ut Virtute.

quod ius appellatur ejus proprietatis, ipsique opponitur peccatum in ratione offensa.

Secunda ratio differentiae est quia offensa filiorum in parentes, non est alia, quam impietas, aut ingratitudo quam proinde opposita virtus pietatis aut gratitudinis sufficiens potest reparare: At vero offensa gravis in Deum, habet specialem rationem injustitiae, distinctam ab ea quae contraria est cultui virtuti, & ei superadditam, proindeque reparandam virtute distincta a religione, & a qualibet alia.

53 Obijciat secundo: Actus proprius virtuti poenitentiae, est etiam proprius virtuti religionis: Ergo poenitentia non distinguitur a religione. Consequentia patet, Antecedens probatur primo. Actus principalis poenitentiae est subiectio hominis ad Deum: Sed per religionem homo subijciatur Deo: Ergo actus proprius virtuti poenitentiae, est etiam proprius virtuti religionis. Secundo, satisficere Deo pro injuria, qui est actus proprius virtuti poenitentiae est exhibere cultum & reverentiam Deo, cum talis satisfactio maxime cedat in ejus honorem, eique per affectum restituit honorem per peccatum ablatum: Sed exhibere cultum & reverentiam Deo, ad religionem spectat, & est proprius actus illius: Ergo actus proprius virtuti poenitentiae, est etiam proprius virtuti religionis.

Tertio, Actus proprius poenitentiae est ille per quem expiatur peccatum: Sed per actum religionis expiatur peccatum, quandoquidem in lege veteri peccata expiabantur sacrificiis, & modo in lege nova expiantur sacramentis: sacramenta autem & sacrificia sunt actus religionis, immo Psalm. 50. actus contritionis appellatur sacrificium, dicitur enim: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Demum, sicut pro beneficiis acceptis debetur Deo gratiarum actio, ita & pro offensis recompensatio: Sed gratiarum actio pro beneficiis a Deo acceptis, est actus religionis: Ergo & recompensatio pro offensis, quae est actus proprius poenitentiae.

54 Respondeo negando Antecedens, & ad primam illius probationem, distingo Majorem. Actus principalis poenitentiae est subiectio hominis ad Deum, ut offensum, & ex motivo compendi injuriam ei illatam, concedo Majorem; Ad Deum, ut supremum rerum omnium Dominum, & ex motivo reverendi & profitendi supremam ejus excellentiam, nego. Similiter distingo Minorem: Per religionem homo subijciatur Deo, ut rerum omnium Domino, & ob supremam ejus excellentiam & majestatem, concedo Minorem: Ut offensum, & ex motivo compendi injuriam ei illatam, nego Minorem, & Consequentiam. Diversae enim virtutes possunt tendere in idem obiectum diversimode consideratum, seu ex diverso motivo & ratione sub qua. Sicut diversae scientiae per diversa media eandem attingunt conclusionem: Eandem enim conclusionem demonstrat Astrologus & naturalis; puta quod terra est rotunda: Sed Astrologus per medium mathematicum, id est a materia abstractum; naturalis vero, per medium circa materiam consideratum: inquit S. Thomas 1. p. quaest. 1. artic. 1.

Ad secundam, distingo Majorem: Satisficere Deo pro injuria, est exhibere illi cultum aliquem generalem, qui includitur in quolibet actu virtutis, quatenus omnis actus virtutis cedit in honorem Dei, concedo. Est exhibere specialem cultum a quo specificatur religio, nego; quia talis cultus consistit in professione quadam dominii quod Deus habet ut primum rerum omnium principium: satisficere autem pro peccato, non est talis professio, ut patet ex dictis, & quamvis possit quis hanc satisfactionem peccati ordinare in cultum divinum proprie dictum, si nimirum fiat ex intentione significandi supremam Dei dominium, hoc tamen solum arguit quod actus ille poenitentiae possit imperari a religione, non vero quod eliciatur ab illa; ad hoc enim necessarium esset ut talis actus per se & ex propria ratione significaret excellentiam & dominium quod Deus habet supra omne creaturam, ut patet in omnibus actibus religionis, v.g. in sacrificio; immutatio enim rei oblata, quae est essentialis sacrificio, significat per se, & ex propria ratione, Deum esse supremam vitam & necis dominum.

Ad tertiam respondeo, expiationem a peccatis quae fit mediante sacramento, pertinere ad duplicem virtutem, nimirum ad religionem, cujus est sacramentum ipsum, & ad poenitentiam, ad quam voluit Deus, instituendo sacramenta, quod actus & caeremonia religionis ordinarentur: ex eo autem quod una virtus cum subordinatione ad aliam, concurrat ad ejus effectum, non sequitur quod actus ejus sit actus illius. Ad locum autem Psalmistae dico, in eo quidem contritionem fere dolorem cordis de peccatis appellari sacrificium, sed metaphorice tantum, non vero proprie: constat enim sacrificium proprie dictum, esse actum externum, non vero internum, qualis est dolor cordis.

Ad quartam, nego Consequentiam; licet enim recompensatio pro offensis, quae fit propter recognitionem excellentiae Dei, five supremi ejus dominii, sit, quemad-

modum gratiarum actio, actus religionis: non tamen recompensatio pro offensis, quae fit immediate propter destructionem peccati five offensae, secundum quam rationem duntaxat habet quod sit actus poenitentiae.

## §. IV.

Tres aliae sententiae breviter confutantur.

Dico tertio, poenitentiam distingui a iustitia commutativa. 55

Probatur contra Durandum, primo quia hominis ad Deum non datur iustitia commutativa, ut communiter docent nostri Thomistae, & colligitur ex D. Thoma 1. 2. quaest. 114. art. 1. ubi sic ait: *Manifestum est, non posse esse hominis ad Deum (non vero, a Deo, ut aliqui corrupti codices habent) iustitiam secundum perfectam aequalitatem.* Idem habet in 4. dist. 14. quaest. 1. artic. 1. quaestione 6. Favet etiam Aristoteles in libris Ethicorum, ubi docet inter patrem & filium, dominum & servum, non dari iustitiam commutativam; quia iustitia commutativa non est nisi inter aequales; nam sicut iustitia legalis est partis ad totum, & distributiva, totius ad partes; ita commutativa est partis ad partem, id est aequalis ad aequalem.

Ex quo Probatur secundo conclusio ratione a priori: Virtutes quae habent diversa obiecta formalia sunt realiter inter se distinctae; Sed poenitentia & iustitia commutativa diversa obiecta formalia respiciunt: Ergo distinguntur realiter. Major patet, Minor probatur. Iustitia commutativa respicit ius strictum ad aequalitatem, per proprium actum compendandum: Sed poenitentia non respicit tale ius: Ergo distinguitur a iustitia commutativa. Major est certa, Minor probatur. Poenitentia respicit ius divinum lesum per offensam, ut reparandum per proprium actum: Sed non potest poenitentia reparare tale ius ad aequalitatem, quia offensa contra Deum commissa, est malitia simpliciter infinita, ut in Tractatu de peccatis disp. 9. artic. 6. ostendimus; dignitas autem satisfactionis quam poenitentia exhibet, est finita simpliciter: Ergo poenitentia non respicit ius strictum, ut compendandum ad aequalitatem.

Respondet Durandus, in habitu poenitentiae duplicem actum esse distinguendum, unum primarium, & alium secundarium. Primarius est ille quo homo servat ius divinum illatum, observando mandata, seu vitando peccata: secundarius vero est ille quo punit peccatum in seipso, & pro illo satisficit. Quamvis ergo (inquit) poenitentia non possit hunc actum secundarium a quo sumit nomen poenitentiae, perficere ad aequalitatem, ut probat nostra ratio, bene tamen actum primarium a quo specificatur.

Sed contra: Constituire perfectam aequalitatem est actus primarius iustitiae, constitutum vero servare, est actus solum secundarius, ut colligitur ex D. Thoma 2. 2. qu. 79. artic. 1. ad 3. quia impossibile est conservare illam, nisi prius constituta sit; quod enim non est, conservari non potest: Ergo haec solutio Durandi falsum supponit, nimirum quod servare ius divinum illatum sit actus primarius poenitentiae, & illud per satisfactionem reparare, actus duntaxat secundarius.

Confirmatur: Actus secundarius non addit novam difficultatem supra primarium: Sed in hoc quod est reparare ius divinum lesum, specialis & major est difficultas, quam in hoc quod est vitare peccatum, & conservare ius divinum illatum: Ergo reparare ius divinum lesum per peccatum, est actus primarius poenitentiae; servare autem illud illatum, actus duntaxat secundarius. Major patet, Minor probatur, tum ad hominem contra Durandum, asserentem hominem posse ad aequalitatem servare ius divinum illatum, non tamen reparare lesum: Tum etiam quia major exigitur submissio & humilitas in primo actu, quam in secundo, unde illo supposito, nulla est difficultas in eliciendo isto; qui enim per veram contritionem peccato dolet, facile proponit ab omni peccato cavere.

Dico quarto, virtutem poenitentiae distingui a iustitia vindicativa.

Probatur primo: Proprium est iustitiae vindicativae poenae & supplicia pro delictis taxare, servando proportionem & commensurationem inter poenam & culpam: Sed nulla potest esse proportio inter poenam quam poenitentia exigit a peccatore, pro delicto peccati mortalis, & tale delictum; est enim illa poena simpliciter finita, delictum vero ipsum, malitia simpliciter infinita: finiti autem ad infinitum nulla est proportio: Ergo poenitentia non est iustitia vindicativa.

Secundo: Iustitiae vindicativae finis immediatus non est emendatio delinquentis, aut ejus reconciliatio cum parte laesa, sed solum illius punitio: Sed poenitentia habet pro fine immediato satisfactionis quam exigit a poenitente, emendationem peccantis, & ejus reconciliationem cum Deo: Ergo non est iustitia vindicativa.

Tertio:



62 Tercio: Vindicatio quam facit vel petit iustitia vindicativa, est involuntaria respectu patientis; ea vero quam facit poenitentia, est voluntaria sumpta ab ipso suscipiente, utpote actus virtutis in eius voluntate existens: Ergo idem quod prius.

63 Denique: Iustitia vindicativa non subieciatur in patiente vindictam, neque in iudice ordinantem punitionem; ut enim recte explicat D. Thomas 2. 2. quæst. 108. & Cajetanus ibidem, vindicta, quæ est actus vindicativæ, est appetitus rationis ultiscendi injurias, non intentione nocendi, sed intentione removendi nocentia: unde hoc est speciale in hac virtute, quod non potest consummare in proprio subiecto actum externum, quia ad illam solum spectat intendere punitionem, ad iustitiam vero commutativam ex imperio legis residentis in iudice, pertinet consummare actum vindicationis, seu punitionis: Atqui actus punitionis qui reperitur in poenitentia, consummatur in ipso subiecto in quo est talis virtus: Ergo poenitentia non est iustitia vindicativa.

Dico quinto, virtutem poenitentiae distingui a iustitia distributiva.

64 Probatur primo: Iustitia distributiva proprium est, distribuire bona & penas, cum proportionem ad actus laudabiles & culpas: Sed nulla, ut supra dicebamus, est proportio inter culpam peccati mortalis & satisfactionem pro ea, per poenitentiam exhibitam: Ergo poenitentia a iustitia distributiva distinguitur.

65 Secundo: Iustitia distributiva est superioris ad inferiores, siquidem pertinet ad superiorem distribuere inferioribus de communibus bonis & penis, unicuique proportionatè ad suum meritum vel demeritum: poenitentia autem est potius inferioris, scilicet creatura ad superiorem, videlicet ad Deum: Ergo non est iustitia distributiva.

66 Tercio: Iustitia distributiva non inducit in distribuente debitum aliquod simpliciter, ortum ex eo quod aliquid accepit vel abtulit ab alio, bene tamen poenitentia in poenitente; inducit enim in eo debitum ex eo quod peccando graviter rationem ultimi finis Deo abtulit, si non de facto, saltem quoad affectum: Ergo poenitentia a iustitia distributiva differt.

67 Denique: Iustitia distributiva penas vel bona taxat uni, per respectum ad alium quem etiam punit vel promittit, puta militi per respectum ad ducem; poenitentia vero non punit unum poenitentem per respectum ad aliud, sed per respectum ad culpam in Deum ab eo commissam: Ergo idem quod prius.

## §. V.

*Solvuntur objectiones.*

68 Obijciens primo contra tertiam conclusionem: Ad iustitiam commutativam duo requiruntur & sufficienter, scilicet stricta obligatio ad solvendum debitum, & perfecta æqualitas in compensatione illius: Sed poenitentia utrumque habet: Ergo est iustitia commutativa. Major est certa, Minor probatur. Et in primis quod poenitentia habeat strictum debitum ad satisfaciendum Deo pro injuria ipsi per peccatum irrogata, manifestum est, cum in Deo sit strictum jus talem satisfactionem exigendi a peccatore. Quod vero pro peccato satisfaciat Deo ad æqualitatem sic ostenditur. Actus contritionis, qui est poenitentia, reddit Deo æquale pro injuria illata: Ergo poenitentia satisfacit Deo ad æqualitatem. Consequentia patet, Antecedens probatur. Illa satisfactio reddit æquale, quæ persone læsæ exhibet aliquid tantum ei placens, quantum displicet injuria: Sed per actum contritionis exhibetur Deo aliquid tantum ei placens, quantum ei displicet peccatum: Ergo actus contritionis reddit Deo æquale pro injuria illata. Major constat, Minor probatur. Tanta est bonitas actus contritionis, quanta est malitia peccati: Ergo per actum contritionis, exhibetur Deo aliquid tantum ei placens, quantum ipsi displicet peccatum. Consequentia manifesta est, Antecedens vero ex eo probatur, quod sicut peccatum averit a Deo ut ultimo fine, ita & contritio convertit hominem ad Deum tanquam ultimum finem, ipsique proinde restituit totum quod abtulit per peccatum quantum ad effectum, scilicet rationem ultimi finis.

69 Respondendo concessa Majori, negando Minorem quoad secundam partem, & ad illius probationem, nego Antecedens, ad cuius probationem, distinguo Minorem: Actus contritionis si consideretur in ratione bonitatis moralis præcise, tantum Deo placet, quantum ei displicet peccatum, transeat: Consideratus in ratione satisfactionis, seu quantum ad valorem quem habet ille actus ad satisfaciendum, nego. Ratio solutionis est, quia bonitas moralis actus petitur ex ipsamet entitate actus, & habitudine ad proprium obiectum; valor autem satisfactorius sumitur ex dignitate personæ satisfaciendæ, non autem ab obiecto circa quod talis actus versatur; cum tamen malitia peccati in ratione offensæ, peti debeat ex dignitate per-

sonæ læsæ, & ideo licet perfectam contritionis restituatur Deo tantum bonum in ratione boni moralis, quantum fuerat per peccatum ablatum, non tamen ratione satisfactionis, quia peccatum in ratione offensæ est infinitum simpliciter, ex eo quod persona offensæ est infinita; actus vero contritionis non est infinitus in ratione satisfactionis, quia persona satisfaciendæ non est infinita. De quo plura diximus in Tractatu de Incarnatione disp. 4. art. 1.

Obijciens secundo: Ab eadem virtute procedere debet satisfactio Christi & nostra: Sed satisfactio Christi a iustitia commutativa processit, ut in Tractatu de Incarnatione disp. 4. art. 3. ostensum est: Ergo & nostra a iustitia commutativa oriri debet; unde cum procedat a poenitentia, virtus poenitentia non distinguitur a iustitia commutativa.

Respondendo negando Majorem, ideo enim Christus satisfecit Deo per iustitiam commutativam, quia potuit reddere illi æquale pro peccato, nos autem id præstare non possumus; unde poenitentia per quam Deo satisfactionem pro culpis exhibemus, deficit a stricta ratione iustitiæ, non debet illi simili debiti & obligationis, sed propter impotentiam offerendi Deo satisfactionem condignam & æqualem pro peccatis.

Dices: Hæc impotentia non tollit quin vere ex iustitia commutativa Deo satisfaciamus: Ergo propter illam poenitentia non deficit a stricta ratione iustitiæ. Consequentia patet, Antecedens probatur, quia primarius actus virtutis consistit in electione qua quis eligit ejus honestatem; per accidens vero est quod actum externum nequeat elicere. Unde sicut licet pauper, actus exterioris liberalitatis & magnificentiæ exercere nequeat, habitus tamen illarum virtutum habere potest; quia potest eligere honestatem illarum, & elicere actum conditionatum illas exercendi, si habere facultatem. Ita puro homini iustitia commutativa in ordine ad Deum competere potest, quia simpliciter potest velle satisfacere Deo ad æqualitatem si possit.

Respondendo, impotentiam esse duplicem; alia est quæ se habet per accidens, & tenet præcise ex parte subiecti, & hæc impotentia ut plurimum non impedit actum virtutis, nec ejus habitum; alia est per se, & tenet ex parte obiecti & illa impedit habitum & actum virtutis: talis autem impotentia reperitur in homine puro ad exhibendum Deo æqualem satisfactionem pro peccato; nam æqualitas cum jure divino læsæ, impossibilis est pure creaturæ ex obiecto & per se, ita ut implicet contradictionem; impotentia vero quæ reperitur in paupere ad actum exterioris liberalitatis & magnificentiæ exercendum, primigenier est, quia non repugnat ut fiat dives, & habeat multas pecunias quas alii distribuat.

Obijciens tertio: Ad eandem virtutem pertinet servare jus illatum, & læsam reparare: ut patet in iustitia humana: Atqui servare jus divinum illatum, non potest pertinere ad poenitentiam; Ergo & reparare jus læsam non erit actus poenitentia, sed iustitia commutativa vel distributiva, ut vindicativa. Major certa videtur. Minor probatur. Si servare jus divinum illatum ad poenitentiam pertineret, & esset actus illius, poenitentia posset esse in Christo & in Angelis; possent enim actum illam elicere, scilicet jus divinum illatum servare: Sed hoc dici nequit, ut infra patebit: Ergo nec illud.

Respondendo data Majori, negando Minorem; & ad illius probationem, distinguo Majorem. Si servare jus divinum illatum ad poenitentiam pertineret, & esset actus illius primarius, poenitentia posset esse in Christo & in Angelis, concedo Majorem; Si esset actus illius tantum secundarius, nego Majorem: habitus enim virtutum non ponuntur in potentiis propter actus tantum secundarios, sed solum propter actus primarios, a quibus specificantur: unde cum servare jus divinum illatum, sit actus tantum secundarius poenitentia, licet reperitur in Christo & in Angelis, in illis tamen habitus virtutis poenitentia esse nequit.

Dices: Actus secundarius alicujus virtutis non potest elici, nisi ab illa virtute: Ergo si servare jus divinum illatum sit actus secundarius poenitentia, & ille in Christo & in Angelis reperitur, in illis etiam erit habitus virtutis poenitentia, a quo elicatur talis actus.

Respondendo negando Antecedens; nam expectatio gloriæ corporis, quæ in nobis est actus secundarius ipsi, elicatur per virtutem caritatis a Christo, & modo etiam per eandem virtutem elicatur a beatis, in quibus non est spes, defectu actus primarii quem non possunt elicere. Similiter etiam dicendum est, quod propositum vitandi peccata, ut sunt offensæ contra Deum, & servandi jus divinum illatum, in subiectis incapacibus poenitentia, procedit ab alia virtute, puta a iustitia commutativa in Christo, & a iustitia legali in Angelis, cum quo stat absolute illam actum dicendum esse actum secundarium poenitentia, quia in subiectis capacibus poenitentia procedit secundario ab illa.

Urgebis: Actus secundarius alicujus virtutis debet attingi

tingi sub eadem ratione formali, sub qua attingitur primarius: Sed actus de quo est sermo, non attingitur sub eadem ratione formali, sub qua attingitur actus primarius poenitentia: Ergo non debet dici actus ejus secundarius. Major est certa, Minor probatur. Poenitentia non potest elicere actum primarium ad æqualitatem, & tamen istum actum, nempe servare jus divinum illatum, ad æqualitatem elicit: Ergo sub eadem ratione formali non attingit utrumque. Consequentia patet, Antecedens etiam, quoad primam partem, est manifestum; probatur vero quoad secundam. Ad servandum jus divinum illatum ad æqualitatem, sufficit quod Deus nihil jure possit expostulare tamquam pars læsa: Sed hoc ita erit si evitetur omnis injuria contra Deum: Ergo &c.

Respondendo, concessa Majori, negando Minorem; & ad ejus probationem, nego poenitentiam posse illum actum, nempe servare jus divinum illatum, exercere ad æqualitatem; quia servare jus ad æqualitatem, supponit prius factum esse perfectam æqualitatem; quod enim non est, conservari non potest; neque ille dicitur jus alienum ad æqualitatem conservare, qui cum sit debitor curat solum non nova debita contrahat. Unde ad probationem in contrarium, nego Majorem, quia potest Deus tale propositum acceptare pro aliis titulis, puta titulo gratitudinis, & ideo nullum actum possumus respectu Dei ad æqualitatem exercere.

## §. VI.

*Corollaria notata digna.*

80 EX dictis inferes primo, poenitentiam non esse virtutem Theologicam, sed moralem: virtus enim Theologica habet per obiectum formale Deum: poenitentia vero non respicit immediate Deum, sed compensationem juris divini læsi, quam ingreditur Deus in obliquo, ut cui, non in recto, ut finis qui: sicut cum quis ex affectu iustitiæ compensat injuriam Regi factam, Rex non ingreditur compensationem ut finis qui, sed ut finis cui; finis vero qui est compensatio, ut adequativa juris læsi. Unde D. Thomas in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstionem. 4. ad 2. observat virtutes esse in triplici differentia: alie habent per obiectum & fine proximo Deum, ut Theologice. Alie nec per obiectum nec pro fine proximo Deum habent, ut temperantia, & fortitudo, quæ pro materia habent passionem appetitus sensitivi, pro fine proximo animi quietem, pro fine ultimo & remoto Deum. Alie vero sunt, quæ licet non habeant Deum per obiectum, habent tamen ipsum pro fine cui, seu pro fine proximo ad quem omnes earum actus diriguntur: tales sunt religio & poenitentia, quarum actus proxime ordinantur ad Deum, quæ propterea propinquissime sunt Theologicis, a quibus imperantur.

81 Inferes secundo, virtutem poenitentia ad iustitiam reductive pertinere, partemque potentialem ipsius recte appellari, quia licet deficit a vera iustitia, in quantum scilicet non potest reddere Deo æquale, tamen imitatur & æmulatur quodammodo rationem iustitiæ, sicut religio, pietas, & observantia, quæ idcirco etiam partes potentiales iustitiæ solent appellari. Quia vero non versatur in distributione bonorum communium, sed in compensatione offensæ Deo per peccatum illatæ, & insuper vindictio quam facit, voluntarie assumitur ab ipso poenitente, & in ejus emendationem ordinatur, iustitia ad quam reducitur, non est distributiva, neque vindicativa, ut docet S. Thomas hic art. 3. ad 3. his verbis: *Sicut commutatio quedam in beneficiis (cum scilicet aliquis pro beneficio accepto gratiam repperit) ita etiam est communicatio in offensis, cum aliquis pro offensâ in alterum commissa, vel involuntario recompenset emendam, quod pertinet ad poenitentiam, quæ respicit personam peccatoris, sicut iustitia vindictivam personam iudicis.*

82 Inferes tertio, habitum poenitentia residere in voluntate, non vero in appetitu sensitivo, quia poenitentia, ut jam ostendimus, est pars potentialis iustitiæ: omnis vero iustitia est in voluntate. Tum quia ex Ulpiano lege iustitia fit, de iustitia & jure, iustitia est perpetua & constantis voluntas, juxta suam unitatem ordinata: Tum etiam quia omnis virtus respiciens bonum alterius, est in voluntate, non vero in appetitu, utpote determinato ad bonum proprium: Sed omnis iustitia respicit bonum alterius, scilicet debitum, ut alteri compensandum: Ergo omnis iustitia residet in voluntate, non vero in appetitu sensitivo.

83 Quæres, utrum fuit in quibusdam virtutibus dantur aliqui habitus in appetitu sensitivo, ultra eum qui est in voluntate, qui habitus existens in appetitu, perficit & consummat rationem virtutis: ita enim duplex fit admittenda virtus poenitentia, una in appetitu sensitivo, & alia in rationali? Ratio dubitandi est, quia ad eliciendum actum poenitentia est difficultas non solum in voluntate, sed etiam in parte sensitiva: Sed poenitentia

exilens in voluntate, non potest tollere difficultatem quæ est in appetitu sensitivo: Ergo præter virtutem poenitentia in voluntate residentem, datur alia in appetitu sensitivo, quæ hujusmodi difficultatem vincat.

Confirmatur: Quamvis liberalitas sit pars potentialis iustitiæ, nihilominus Theologi communiter ponunt duplicem liberalitatem, unam in voluntate & aliam in appetitu sensitivo, quia ad eliciendum actum liberalitatis duplex difficultas superanda est; oportet enim primum moderari amorem divitiarum in appetitu sensitivo, & deinde inclinare voluntatem ad largiendas alteri divitias: Ergo similiter, licet poenitentia sit pars potentialis iustitiæ, duplex debet admitti poenitentia, quarum una in voluntate, altera in appetitu sensitivo residet.

Confirmatur amplius: Dolor de peccato qui subieciatur 85 in appetitu sensitivo, est bonus & laudabilis, sepe enim in Scriptura laudatur lacryma pro peccatis effusa: Ergo debet esse ab aliqua virtute: Sed non potest esse a virtute poenitentia existente in voluntate, cum non possit habitus existens in una potentia, producere actum alterius potentie: Ergo debet produci a virtute poenitentia, existente in appetitu, subindeque, præter virtutem poenitentia, in voluntate residentem, alia debet admitti in appetitu sensitivo.

Dicendum tamen est, quod licet poenitentia ut passio, 86 sit in appetitu sensitivo, sumpta tamen pro virtute non existit, etiam complete, nisi in sola voluntate. Primo, quia in ea solum potentia subieci debet immediate, cuius actus possunt immediate attingere ejus obiectum: tales autem non sunt actus appetitus sensitivi, utpote cum sint corporei, obiectum autem poenitentia sit quid spirituale, scilicet jus divinum læsum, & reparabile per satisfactionem. Secundo, quia dolor existens in appetitu sensitivo, licet regulariter loquendo sequatur ad actum poenitentia, immo sepius tanto major sit, quanto major est poenitentia cordis; tamen neque est essentialis poenitentia, neque simpliciter ei necessarius. Tercio, quia difficultas quæ est in appetitu sensitivo ad eliciendum actum poenitentia, sufficienter tollitur per virtutem temperantia, cujus proprium est omnes delectationes & utilitates moderari: Ergo ad vincendam illam difficultatem, non requiritur virtus poenitentia in appetitu sensitivo; quamvis in eo poni debeat virtus liberalitatis, quæ amorem inordinatum pecuniarum moderetur, quia in eo nulla præsupponitur virtus, quæ talem affectum cohibeat. Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi, & ad primam confirmationem illius.

Ad secundam vero, nego Minorem, & ad probationem 87 illius dico, in dolore illo sensibili & laudabili, qui subieciatur in appetitu, duo esse distinguenda, scilicet substantiam actus, & rationem formalem virtutis; quamvis autem non possit poenitentia existens in voluntate producere actum alterius potentie, quantum ad substantiam, bene tamen quoad modum virtutis; cum enim ille dolor non sit actus virtutis secundum suam substantiam, sed solum quatenus ordinatur ad satisfaciendum pro culpa, & hanc ordinationem non possit habere ab aliqua virtute existente in appetitu sensitivo, quia nulla talis potest attingere Deum, aut aliud obiectum spirituale, sit inde quod ipsa poenitentia existens in voluntate elicat hunc actum, quatenus habet rationem virtutis. Hujus rei habemus exemplum in oratione, quæ secundum suam substantiam est actus intellectus in illo existens, & tamen ut habet rationem virtutis, est elicitive a religione in voluntate existente, quæ elicitive a religione in voluntate virtutis, quia nimirum oratio non habet rationem virtutis, nisi quatenus ordinatur ad cultum divinum: hanc autem ordinationem non habet, nisi a religione, cujus proprium obiectum est cultus divinus. Licet ergo una potentia non possit producere actum alterius v.g. intellectus volitionem, aut voluntas intellectionem: bene tamen habitus existens in una potentia, actum alterius habitus in alia potentia existens; quia nimirum in eo differt habitus a potentia, quod potentia est principium actus quoad substantiam, unde si intellectus produceret actum voluntatis, unus & idem actus simul esset intellectus & volitio: habitus vero virtutis aut virtutis, non est principium actus in esse nature, sed tantum in esse moris, id est secundum rationem boni & mali: non implicat autem quod habitus existens in una potentia, bonitatem aut malitiam moralem producat in actu alterius habitus existens in alia potentia, ei nimirum communicando ordinationem in proprium finem quem respicit.

Inferes quarto, quod licet in Christo potuerit esse actus 88 ille conditionatus, Si ergo per impossibile peccarem, Deo pro peccato meo satisfacere, nullatenus tamen in eo fuit virtus poenitentia, quidquid dicat Suarez. Deficiente enim possibilitate obiecti primarii alicujus virtutis, atque adeo actus absoluti circa illud, impossibile est talem virtutem existere propter solos actus conditionatos circa illud obiectum simpliciter impossibile; cum enim virtus sit essentialiter dispositio perfecti ad optimum actum, non potest dari propter solos actus imperfectos, quales sunt conditionati



rationi de objecto simpliciter impossibili: primum autem obiectum virtutis penitentiae, nempe peccatum commissum ab eo qui eam habet, erat omnino Christo impossibile, cum esset ab intrinseco impeccabilis ratione unionis hypostaticae, ut in Tractatu de Incarnatione disp. 20. art. 1. visum est.

89 Dices: Licet Christus non potuerit habere nisi actum conditionatum satisfaciendi pro peccato suo, cum ab intrinseco esset impeccabilis, potuit tamen elicere, & de facto elicuit actum absolutum satisfaciendi pro peccatis hominum: Sed talis actus, nullo alio habito quam a penitentia potuit elicere, quia attingere peccatum sub ratione offensae, ut compensabile per satisfactionem, est proprium habitus penitentiae: Ergo talis habitus fuit in Christo.

90 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; cum enim Christus potuerit pro peccatis hominum satisfacere Deo ad aequalitatem, & de facto ei satisfecerit, voluit absolutam quam habuit satisfaciendi pro peccatis nostris, non potuit elicere a virtute penitentiae, quae est pars potentialis iustitiae, sed a iustitia commutativa, quae est vera & stricta iustitia, compensans debitum ad aequalitatem, & satisfaciens de toto rigore iustitiae. Unde ad probationem in contrarium, in qua dicitur, quod attingere peccatum sub ratione offensae, ut compensabile per satisfactionem, est proprium habitus penitentiae, dicendum est, hoc esse verum, cum peccatum attingitur ut compensabile per satisfactionem inaequalem; falsum vero, cum respicitur ut compensabile per satisfactionem condignam & aequalem: nam sub hac ratione non potest attingi a penitentia, sed solum a iustitia commutativa, quae proinde non potest esse in homine puro in ordine ad Deum, cum purus homo non possit pro peccato satisfacere ad aequalitatem, sed solum in Christo, qui per actiones Theandricas, & valoris simpliciter infiniti, condignam & rigorosam satisfactionem pro peccatis hominum Deo exhibuit, ut in Tractatu de Incarnatione disp. 4. art. 3. fuisse ostendimus.

91 Inferes quinto, habitum penitentiae repugnare Angelis: cum enim immobiliter adherent objecto semel electo, non possunt retrahere actum elicatum, nec per consequens de illo penitere. Unde Fulgentius de fide ad Petrum, cap. 3. ait quod omnes illi praevincatores Angeli, nec mala possunt unquam voluntate carere, nec penitere. Et Gregorius 34. Moral. cap. 6. *Contra antiqui hostes* (inquit) *ut lapsi indurabuntur, qui nulla unquam conversionis penitentia meliorantur.* Et rursum cap. 14. *Appetitur celsitudinis veritas in rigorem mentis, ut damnatus jam per duritiam se male egisse non sentiat.*

92 Inferes sexto, habitum penitentiae remanere in beatis, tum quia cum hac virtutem habuerint in via, non est cur eam amittant in patria magis quam alias virtutes, quae versantur circa passionem, & a suis actibus in gratia omnino cessant: Tum etiam quia stante absoluta possibilitate obiecti primarii, & actus circa illud, merito ponitur habitus virtutis in subiecto, propter alios actus secundarios quos in illo potest exercere: cum autem beati non sint impeccabiles absolute, siue ex natura, sed tantum ex gratia, obiectum primarium penitentiae, & eius actus, absolute possibilis sunt, respectu eorum: possunt insuper exercere, & de facto exercent actus secundarios talis virtutis, primo gratias agendo Deo offenso pro misericordia qua relaxavit eorum peccata: neque enim iste actus pertinet ad virtutem gratitudinis, ut docuit Vasquez, cum gratitudo Deum ut benefactorem, non vero ut offensum respiciat: secundo gaudendo de actibus eiusdem virtutis habitis in via; ejusdem enim virtutis est (ut docet D. Thomas 1. 2. quest. 59. art. 4.) gaudere de propriis actibus, cuius est operari illos. Ex quibus etiam sequitur a fortiori Adamum, etiam in statu innocentiae, habuisse hanc virtutem, utpote cum status iustitiae originalis relinqueret eum liberum ad peccandum, & esset hic dispositus, ut peniteret, si peccaret. Immo licet Beata Virgo, ex privilegio speciali, fuerit preservata a peccatis, etiam venialibus; tamen quia ex conditione sui status, transcendendo a tali privilegio, poterat peccare; aliunde vero habuerit gratiam iustificatam, ad quam fasce natura omnes virtutes morales infuse cum penitentia consequuntur, non est (quidquid dicat Nugno) cur in ea gratiam a virtute penitentiae sejungamus: Denique loquendo de parvulis, cum in ipsis maneat libera facultas peccandi, licet ob defectum usus rationis ab exercitio suo per accidens impedita; aliunde vero penitentia cum ceteris virtutibus supernaturalibus naturaliter sequatur ad gratiam; sicut sunt capaces gratiae, ita & penitentiae. Unde Augustinus lib. 1. de peccat. meritis c. 19. hanc questionem proposuit, *Quomodo & ipsi infantes coeantur in penitentiam? Numquid tantillum potest aliquid penitere? ita solvit: Si propterea penitentes dicendi non sunt, quia sensum penitentiae nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia simpliciter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quantum scilicet per verba gestantur quodcumque proficiunt: cur non prius etiam*

*penitentes habentur, cum per eundem verba gestantur, diabolo & huic saeculo renuntiare monstrantur?*

Inferes septimo, praeter habitum penitentiae supernaturalis, dari habitum penitentiae naturalis. Naturalis enim cognoscitur peccatum esse contrarium rationi, subindeque prime regulae & legi aeternae, cuius ratio naturalis est participatio: Ergo potest voluntas viribus propriis illud detestari, ut rationi & legi aeternae contrarius, nec hoc excedit ipsius vires: igitur ex talibus actibus signi potest habitus facilius voluntatem ad consimiles actus elicere. Hinc sequitur quod in statu naturae purae potuisset esse verus habitus penitentiae naturalis, cum in eo statu potuisset homo dolere saepe de peccatis in Deum ut auctorem naturae commissis, cum ipse venia; plures enim ex Gentilibus lumine fidei destituti, solo rationis naturalis ductu, offerebant olim Deo sacrificia ad placandum ipsum pro peccatis, ut scribit Plato lib. 10. de legibus. Unde Ovidius 1. de Ponto, de diis suis ait:

*Saepe levante panas, ereptaque lumina reddunt,  
Dum bona peccati panituisse vident.*

## DISPUTATIO III.

De remissione peccatorum Mortalium.

Ad quaest. 86. Divi Thomae.

Explicata natura penitentiae, tam in ratione virtutis, quam in ratione sacramenti considerata, agit Divus Thomas de praecipuis ejus effectibus: Primo quidem de remissione peccatorum mortalium quaestione 86. Deinde de venialium remissione quaest. 87. Postea horum effectuum irrevocabilitatem explicat, & peccata per penitentiam remissa non redire per subsequentem peccatum ostendit. Demum quaest. 89. de alio differente penitentiae effectu, nimirum de recuperatione virtutum, ac reviviscencia meritorum per peccatum praecedens mortificatorum. De his omnibus in hac & tribus sequentibus disputationibus nos etiam breviter differemus.

## ARTICULUS I.

An per Penitentiam omnia peccata mortalia, quantumcumque gravia, remitti possint?

Notandum primo, hanc questionem non solum esse de sacramento penitentiae, sed etiam de virtute penitentiae, quae per contritionem etiam sacramento vim habet justificandi, & remittendi peccata; ut infra dicemus.

Notandum secundo, dupliciter intelligi posse, quod aliqua peccata non possunt remitti per penitentiam. Primo, quia non possunt subijci penitentiae, defectu auxilii ad penitentium necessari. Secundo, quia licet illi subijciantur, non est in illa virtute sufficiens ad delenda ejusmodi peccata. Et in hoc tantum sensu praesentem difficultatem movemus, quia in primo sensu esse in Tractatu de praedestinatione disp. 5. art. 5. §. 6. plene resolvimus: ibidem cum duobus Illustrissimis Cardinalibus, Cajetano scilicet, & Bellarmino, docuimus, Deum peccatoribus excois ac induratis subtrahere interdum, in poenam praecedentium peccatorum, omnia auxilia supernaturalia, & sui delatores ita delere, ut omni tam sufficienti quam efficaci gratia, saltem per aliquod tempus, priventur, juxta illud Hieronimi lib. 2. de summo bono cap. 15. *Nonnulli ita deserviunt a Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiam si velint.* Et illud Augustinus de natura & gratia cap. 67. *Illud est peccati poena justissima, ut qui rectum facere cum possit nolit, amittat posse cum vellet.* Hanc sententiam expresse docet Aravius hic art. 2. dubio 1. ubi licet admittat auxilia ad penitentium sufficientia omnibus offerri a Deo; negat tamen illa semper pro omni tempore, & in omnibus adultis, intrinsece recipi, & citat pro hac sententia Soranum, Banez, & Nugno. His praemissis, pro resolutione difficultatis propositae, contra Novatianos, Montanistas, & alios antiquos haereticos afferentes nullam penitentiam esse validam pro peccatis quae committuntur post Baptismum, & quaedam esse peccata adeo gravia, ut nulla valeant penitentia deleri.

Dico breviter, tam in virtute, quam in sacramento penitentiae, esse efficaciam sufficientem ad delenda quaecumque peccata, illi rite subiecta; ita ut nullum sit peccatum, quod remitti non possit, si vera de illo habeatur penitentia.

Conclusio est certa de fide, & probatur primo ex his Scripturae testimoniis, in quibus abique ulla limitatione aut restrictione promittitur vere contritis remissio omnium peccatorum: Ezechiel. 18. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, omnia iniquitatem ejus non recordabor.* Et statim subdit: *Namquid voluntatis vestra est mori impij, dicit Dominus Deus, & non ut converiantur a viis*

## De remissione Peccatorum Mortalium.

Ergo sunt aliqua peccata, pro quibus nulla sufficiens est penitentia.

Ad primum respondeo, peccatum in Spiritum Sanctum 10 vocari illud quod committitur scienter & pateatur contra divinitatem, ut colligitur ex toto proposito Christi. Pharisaei enim quos acculat peccati in spiritum sanctum, nihil aliud dixerant, quam eum in Beelzebub principe demoniorum ejicere demonia, quod erat negare divinitatem Christi. Et ex Marco cap. 3. qui hunc locum magis exposuit, reddens rationem cur Christus ita respondisset, quia (inquit) dixerant, *Spiritum immundum habere.*

Quaerit aliquis, cur ergo vocatur peccatum in Spiritum Sanctum, cum dictum sit contra divinitatem totam, praesertim autem Christi? Respondeo dici tale per attributionem, non quod non sit contra Patrem & Filium, sed quia peccatum quod committitur contra divinitatem quantum nobis remittit peccata, committitur contra bonitatem, quae est maxima causa cur nobis peccata remittuntur, & quia bonitas tribuitur Spiritui Sancto, vocatur peccatum in Spiritum Sanctum. Cur vero illud dicatur irremissibile, explicat S. Thomas 2. 2. qu. 14. art. 3. his verbis: *Sicut aliqui morbus dicitur incurabilis secundum naturam morbi, per quem soluitur id per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturae, vel inducit febrem tibi vel medicina, licet talem naturam Deus possit curare: Ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea per quae fit remissio peccatorum (nimirum auxilia divina gratiae, quorum largitio specialiter Spiritui Sancto tribuitur) per hoc tamen non pracluditur via remittendi & sanandi omnipotentis & misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.* Unde idem est hoc peccatum non remitti, ac difficile remitti; quod enim difficile sit, impossibile moraliter reputatur. Addit Sanctus Doctor hic artic. 1. ad 3. dici hoc peccatum irremissibile in hoc saeculo, & in futuro, quia puniuntur in hoc saeculo, & in futuro.

Ad secundum respondeo cum D. Augustino lib. 1. Retr. cap. 19. & Beda in locum citatum Epistola D. Joannis, ibi sermonem esse de peccato impoenitentiae finalis, quod specialiter vocatur peccatum ad mortem: quia & cum morte temporali conjungitur, & inallibiliter adjectam habet mortem aeternam: De quo peccato dicit Joannes, *Non pro illo dico ut roget quis, quia extenditur extra statum viae, in quo de lege ordinaria non fit remissio.* Vel, ut alii volunt, per peccatum ad mortem, intelligit peccatum aliud quod gravissimum, a quo homines rarissime & difficillime convertuntur; pro quo non prohibetur absolute ut nullus oret, sed ut non quicumque, sed aliquis magna sanctitatis vir; cum enim tale delictum gravissimum sit, magis eget deprecatore. Unde Augustinus loco citato docet de nullo quamvis pessimo in hac vita esse desperandum, *Quia pro illo (inquit) non imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Tertio idem Sanctus Doctor sem. 59. de tempore interpretatur peccatum ad mortem, infidelitatem, non quamlibet, sed ejus qui ante fuisse Christianum, nam qui Christianus est, etiam si peccator sit, adhuc est quodammodo vivus; qui autem fidem deserit, omnino mortuus est, & sibi omnem spem salutis praecidit. Propterea Joannes tamquam pro homine desperato dicit non esse orandum.

## ARTICULUS II.

Utrum peccatum mortale sine penitentia deleri nequeat, nec unum peccatum remitti sine alio?

Dico primo regulariter & per se loquendo, ad remissionem peccatorum mortalium extra sacramentum, requiri in adultis actum penitentiae formalem, nimirum contritionem, qui delectat de peccatis commissis. Ita Divus Thomas hic art. 2. ubi dicit ad remissionem officii requiri (scilicet regulariter) quod voluntas detestetur peccatum, cum proposito emendae, quod pertinet ad penitentiam formalem. Idque constat manifestissimis Scripturae testimoniis, quibus asseritur non dimitti peccatum absque penitentia: Eccli. 2. *Si penitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* Luc. 13. *Nisi penitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

Extat etiam definitio Tridentini sess. 14. cap. 1. sic dicentis: *Fuit penitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quoque tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi sacramento abici perierunt.* Et rursum cap. 14. *Fuit quoque tempore (inquit) ad impetrandam veniam peccatorum, i.e. contritionis motus necessarius.* Loqui autem Concilium de contritione formali liquet, tum ex ejus definitione, quam ibi tradidit; tum etiam quia loquitur de contritione ad sacramentum penitentiae necessaria, quam formalem esse debere nemo dubitat.

Ratio etiam suffragatur: Homo enim qui se convertit in Deum, non solum tenetur recedere a peccato, ut esset malum